



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt IV. Non modica sententiarum varietas in generali Conuentu, de
Calicis concessione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1562. fundere præstò erat : sed Ecclesiæ morem esse, in rebus arbitrariis, & à Deo non præscriptis, leges variare pro conditionum varietate. A Synodo Constantiensi vetitum illud fuisse priùs constitutum ; postea id ex parte relaxatum à subsequuto Concilio ; sed eodem vetito per Pontificem Pium II. ad vim pristinam restituto, fuisse concessam à Paulo III. ac Iulio III. facultatem illius abrogandi : interim fuisse Græcis indultum non vsum modò Calicis, sed varios præterea ritus, ab Ecclesia Latina diuersos, idque per summam prudentiam, exemplo Moysis, qui nonnulla permisit populo suo propter duritiam cordis. Vnam dumtaxat rationem obiici posse, nimirum, Periculum fundendi sanguinis Christi. Huic occursum iri per Præfulum vigilantiam : sed tandem, quando Christus rectè effusum duxerat suum totum sanguinè in hominum salutem, haud illi molestam futuram aliquam eiusdem effusionem, quæ humano vitio contingeret in eo ministerio, vbi hoc pacto consuleretur innumerabilium animarum saluti, quæ eodem ipso sanguine redemptæ sunt. Ita perorauit Antistes, vt illis populis fieret satis, qui ægrotorum insanientium instar, ab amico ac perito medico potionem pro sua libidine violenter petebant.

C A P V T IV.

*Non modica sententiarum Varietas in generali Conuentu,
de Calicis concessione.*

Videbatur in eo argumento, in quo lumen rationis nullâ poterat infici tincturâ ab animi affectione & vtilitatis cupidine, nec agitabantur subtiles Scholarum quæstiones, sed beneficium quoddam arbitrarium, & à tot Principibus, tot Regnis efflagitatum, expectanda esse magna sententiarum concordia. Verumtamen vix vquam adeò illæ variarunt. Lectori gratius futurum puto id suis oculis singulatim cernere, quàm narrationi meæ vniuersè credere : præsertim quòd hinc intelliget id quod singulos permouebat, cum interdum nos magis oblectet, si varios fructus decerpentes ex variis arboribus degustemus, atque inde plantarum terrarumque varietatem discernamus, quàm si confusos in vno eodem calathò illos haberemus in mensa. Verùm minutarum rerum recitationem cauebo, quæ semper accidit molesta lectoribus non otiosis, in vita temporis egentissima, & rerum obiectarum locupletissima.

Madruc-

2 Madruccius^a suadere studuit, posse Synodum, ac debere petitioni assentiri, nec esse in causa Cæsari, ut diceret: *Quid potui amplius facere vineæ meæ, & non feci?* Cum à Concilio Basileensi concessus fuisset usus Calicis, quo Bohemi reuocarentur ad Fidem, multò magis esse concedendum à Tridentino, non solum ad hæreticos reuocandos, sed ad Catholicos retinendos.

3 Non ita Ælius Hierosolymæ Patriarcha: is, præmissa Ferdinandi, eiusque in Ecclesiam meritorum commendatione, rei propositæ dissensit, siue ratus nihil esse potentius ad temperandam contradictionis amaritiam, laudum dulcedine, siue studens efficaciorum reddere contradictionem, quasi vi rationis expressam animo reluctantem. Dixit, Validas persistere easdem causas, quibus iam ad illud Decretum Patres Constantienses permoti sunt. Ex concessionibus postmodum habitis à Synodo Basileensi, & à Paulo III. nullum fructum esse decerptum. Georgium Bohemiæ Regem petiisse à Pio II. hanc relaxationem, missis per præclaram legationem viris acceptis Pontifici, qui eam Prouinciam, dum minori esset in gradu, adierat, adeoque illius conditionem non credebat, sed pernoscebat; & tamen ab ipso repulsam tulisse: quæ cum ignorantia rerum, aut animi asperitati adscribi non posset, prudentiæ consilium erat existimanda: certiora saltem argumenta pietatis, demissionis animi ac Fidei illarum Gentium requiri.

4 Cum Ælio consensit Barbarus, electus Aquileiæ Archiepiscopus. Optimum à Cæsare animum geri, sed non item fortasse ab iis, quorum importunitate Cæsar commouebatur. Petrum Dresdensem, Misniensem anno 1414. originem dedisse huic errori, quòd vtriusque speciei sumptio esset ad salutem necessaria, eumque ceteris Ioannis Wicleffi erroribus adieciisse: quem errorem illicò amplexati Ioannes Hussus, & Hieronymus Pragensis, concionibus disseminarant, præcipuè verò Iacobellus pariter Misniensis, à quo liber ea de re conscriptus est. Hoc falsum dogma nactum fuisse, non induxisse hæresim in Bohemiam, solumque ab eo postea auctam & confirmatam. Quapropter vbi populis illis id indulgeretur, verendum esse, ne arguerent, perinde ac aliàs post similem concessionem argumentati fuerant, colligentes ex verbis Christi, sub specie panis esse solum corpus, & sub specie vini solum sanguinem. Præterquam quòd de petitorum animo non liquebat, nec liquere à quonam id peterent: si à Concilio, nemo aderat cum ipsorum mandatis; sin à Cæsare, qui pro ipsis Concilium deprecaretur, qualia demissionis & obedientiæ argumenta Ecclesiæ exhibebant? Vbi Patres id ipsis

1562.

^a Pars litterarum sententiarum fuscè habetur in prædictis monumentis Io. Baptistæ Argenti; pars compendio in Actis Paleotti, & Arcis Æliæ, & in pluribus litteris Iadentis Archiepiscopi.

1562. indulissent, extemplò alias nationes idem postulaturas, vociferantes, Se non minùs, quin eo magis beneficium illud sibi promereri, quò ipsi obsequiosius Ecclesiæ obtemperarant. Nec incommodum hucusque solum deuenturum: eo exemplo illius indulgendi, quod Ecclesiasticà solum lege prohibetur ad populorum quietem, Principumque gratificationem, confestim excitatum iri vehementissima postulata pro Sacerdotum coniugio, obiectantia, non posse aliter hos versari sine suspicione, & cum sincera fiducia in ædibus laicorum. Petitum iri amotionem imaginum, adductà in medium vulgi propensione in idololatriam; adeoque quò motus fluminis sedaretur, vniuersum Ecclesiæ pelagus commotum iri. Neque eam indulgentiam è re Cæsaris futuram: etenim si tunc Bohemi difficiles erant ad conferendas illi suppetias in Turcam absque illa concessione indebita, & intra Cæsareæ potestatis fines haud contenta, eius postea adeptione, se formidabiles ac victores expertos, in posterum tum in sacris tum in profanis ausuros leges ipsi præscribere. Populorum pernicitiam esse quamdam hydropicorum sitim, quæ negato potu solum extinguitur. Denique audire se, id à Cæsare peti pro Germania vniuersa; & tamen sibi compertum esse, cum Patriarchatus suus non parum intra fines Germaniæ protenderetur, multos ibi esse populos ab ea appetitione alienos, & inter ceteros, in pago admodum frequenti impetum fuisse factum Parocho, quòd in Eucharistia præbenda Calicem populo porrexerat.

Ad duos Patriarchas accessit tertius, hoc est, Triuesianus Venetiarum.

Archiepiscopus Hydruntinus ad postulatum flectebatur, sed cum triplici restrictione. Prima erat, Vt limitaretur ea concessio iis dumtaxat, qui in ipso Missæ sacrificio Sacramentum sumerent, ne postea necesse foret consecratum sanguinem conseruare. Altera, Vt id fieret solum iis diebus, quibus alius sub vnica specie non dabatur Eucharistia; quò diuersitas euitaretur, quæ dissidij origo est. Tertia, Vt hoc priuilegium non aliter impertiretur quàm cum assensu Pontificis, quippe supremi Rectoris Ecclesiæ, meliusque rerum conscij.

E contrario Granatenfis adeò dehortatus est, ne res Pontifici committeretur, quemadmodum & Hydruntinus indicauerat, & rumor erat; nonnullos velle vt affirmaret^b, Argumentum illud esse eiusmodi, ad quòd solum expendendum oportuisset à Pontifice Concilium cogi, quo tanti ponderis, tamque vniuersale negotium decerneretur suffragiis præstantissimorum omnium in Ecclesia vi-
rorum.

^b Suffragium Granatenfis, præter Acta Paleotti, recensetur in arcanis litteris Vicecomitis ad Borromæum, & fusiis in epist. Iadrensis, vt. Augusti 1562.

rorum. Se nõndum satis certo animo esse, & longiori spatio ad perpendendum indigere. Parum sibi negotij faceßere effusionis periculum, quoniam experimento habebatur, id perrarò accidere in vino ad abluendum os post sumptam Eucharistiam, maioremque diligentiam in sanguine adhibitum iri: parum sibi difficultatis iniici à Gentium numero, pro quibus flagitabatur; etenim vbi hoc foret vile instrumentum ad eas reconciliandas, vitandum non erat, quippe quod mutationem afferret simplicis cuiusdam ritus, qui ad fidelium vtilitatem potest prudenter variari. Solùm hæere se pendente animi, ne post huiusmodi concessionem insolentiora alia postulara prorumperent. Optari à se, vt clariùs innotesceret, an hæc indulgentia opportunè succederet: ad id adhibendam esse diligentiam exquisitiorem tum per pia opera (nempe preces, ieiunia, & eleëmofynas, ad lumen à Deo impetrandum) tum per humanam operam cum Episcopis Germaniæ, qui, quoniam aberant, Metropolitanos adirent, habitoque ea de re consilio, ad Synodum pro ipsorum conscientia referrent. Quod si vellent petitioni satisfacere, ad solam Bohemiam id restringendum.

7 Multa ad repulsam argumenta coaceruavit Castanea: Nullam sibi videri deesse ex rationibus, propter quas in illud Decretum venerat Ecclesia, quin potiùs eas esse auctas accessione vnus rationis tam validæ, quàm opportunum est in omni Republica, & Ecclesiastica potissimum, nihil nouare. Quod si mutatio in cunctis legibus, vtpote noxia populorum venerationi, vitanda est; multò magis omnem vmbra à ritibus Eucharistiæ procul arcendam eâ tempestate, quâ tot recentes hæreses pullularant de eo Sacramento, quibus omnis nouitas ex Ecclesiæ parte colorem obtendisset. Præter hanc nouam & efficacem rationem pristinas omnes, pro eo ac ipse dixit, firmas persistere. Iamdudum negasse Nestorium, contineri totum Christum sub qualibet specierum, sed solùm corpus sanguine vacuum sub specie panis, & sanguinem seiunctum à corpore sub specie vini: hinc ortum habuisse ritum sumendi vnicam speciem. Hanc pertinacissimam petitionem vtriusque speciei tendere ad excitandam illam hæresim, iam sepultam. Motam fuisse Ecclesiam à periculo, ne vinum consecratum effunderetur, aut acesceret; adeoque stomachi ciendi fieret occasio, & ab aliis incommodis, quæ tam venerabilis Sacramenti dignitati detraherent. Quinam posse id in præsentia vitari, dum fidelium numerus vni tantum Curioni subiectus modicus non erat, & qualis primæuis sæculis, cum propterea absque eiusmodi incommodo sumptio Calicis vsurpabatur?

1562. tur? sed aliquo in oppido contingebat, vt vni eidemque Parocho centum animarum millia committerentur, quemadmodum euemere suæ Diocesi Parisiensis affirmarat. Quænam amphoræ, imò quænam dolia tam frequenti cateruæ suffectura? Per eam concessionem, quæ petebatur, alimentum, non medicinam allatum iri illorum hominum infidelitati: si reuera credidissent, Christum integrum, & integram Sacramenti naturam in qualibet specie contineri, tam perucaces haud perstituros fuisse in vtraque expetenda. Sibi regredi in memoriam id quod à S. Leone gestum aliqui traderant, qui cum animaduertisset, hæresim Manichæorum gliscere, Christo non verum corpus, sed solum ad speciem & apparens tribuentem, iusserat in sacra synaxi Calicem etiam populo præberi, quò eâ ratione rudes quoque intelligerent, inesse Christo verum corpus, non autem commentitium & exangue. Verum à se eam narrationem non affirmari, quandoquidem sermo quartus Quadragesimæ, qui ad id afferebatur, vbi rectè legeretur, id non sonabat. Verum ita si foret, exemplum mirificè congruere: etenim cum doceret Lutherus, integram institutionem Christi sub vna specie minimè contineri, rationem efficaciorē non suppetere ad ostendendam etiam idiotis contrariam veritatem, quàm vt eam in Eucharistiæ sumptione reipsa exerceret. Petrum Dresdensē, & Iacobellum non alio modo effecisse, vt illi populi ab Ecclesia Romana desciscerent, quàm concionibus suadentes eam esse impiam; quippe quæ cum Euangelij violatione laicos dimidio Sacramento priuasset. Nullo conditionum emolumento compensari detrimenta, quæ ab eiusmodi Concilij lege manarent. Non esse leges instar concessionum, quas sub conditione indulgent Principes: vanescunt siquidem conditionibus, illæ pariter euanescent. Suapte naturâ leges esse perpetuas, ac semper loqui; proinde conditiones quæ apponerentur, negligi posse, & in desuetudinem abire; sed persistere perpetuò illius Concilij sanctionem, quasi affixam vniuersalis Ecclesiæ columnis, & oculis posteritatis expositam. Præterquam quòd Synodi non consueuerant proprias vni populo leges edere, sed Christianis omnibus communes. Quare satius esse rem in Pontifice reponere, qui per suos Nuntios certior redderetur de statu huius illiusve regionis, ac de iis quibus singulæ indigerent, & pro temporum rerumque opportunitate concederet reuocaréve peculiaria priuilegia, perpetuis communibusque legibus nequam latis.

Archiepiscopus Pragensis quatuor hominum genera distinxit: 8
perfe-

perfectos Catholicos, manifestos hæreticos, & à neutris ipsorum Calicem postulari: Catholicos simulatos, qui per eam simulationem sibi gratiam Cæsaris aliorumque Principum conquirere arbitrabantur; & his esse negandum: Catholicos imbecilles, & male fundatos in Fide, qui Calicem petebant, quòd errarent; & his pariter gratificandum non esse, quoniam à pietatis sensu petitio profecta non erat, cum illorum plerique ad supplicium rapi sibi viderentur, quo tempore ab Ecclesia ad annuam peccatorum expiationem, sumptionemque Eucharistiæ cogebantur: sed ob Fidei penuriam ea petebant. Petitorum conditionem Synodo compertam non esse: mitterentur proinde decem ex ipsis, à Concilio ac Pontifice delecti, qui quod animarum saluti profuturum cernerent, re ipsa perficerent.

Atque huic postremæ parti consensit etiam Bolanus Episcopus Brixienfis; sed auctor erat, petendum à Pontifice, ut ipse delectum integrum missionemque Patrum haberet.

9 E regione opposita fuit Archiepiscopi Lancianensis sententia. Indulgendum esse nationum illarum infirmitati, nec adhibendam cum ipsis eam curationis seueritatem, quæ ad mortem illas pertraheret. Ita Moysen se gessisse in permittendo Iudæis repudio; ita scribere Magnum Gregorium ad Episcopum Moguntinum.

Ad id confirmandum Octavius Preconius, è sancti Francisci familia Archiepiscopus Panormitanus, dixit: Cuncta mala præsentia Religionis prouenisse ex duritia aduersus inflammata studia animorum impietate imbecillium, & in sensu repulsæ vehementium. Hoc pacto à Lutero, quòd sibi munus promulgandarum Indulgentiarum derogaretur, Ecclesiam fuisse peruersam: Saxonix Ducem, ob repulsam petitiæ relaxationis indignatum, Lutheri patrocinium suscepisse: exemplum Regis Britannici magis patere, quàm commemorationis egerè.

10 Meminerint lectores nostri illius, quod alibi monuimus, vitio nobis vertendum non esse, si quando in dictis congregatorum rationes minùs validas recitamus, fundamentisque minùs vel in historia vel in scientia firmis innixas. Veritas, quam præstare debet narrator, sita non est in conformatione verborum, quæ narrat cum eorum obiectis; sed in conformatione verborum cum rebus quæ narrantur: nec mihi libet vnum verum defendere per dissimulationem alterius veri, inter quæ repugnantia numquam est. Lapsi quidam sunt in Concilio (lapsus non obtego) in varios errores aut in re gesta, aut in doctrina, aut in argumentatione: vbi enim eorum

1562. rum singuli erroribus obnoxij non fuissent, opus non erat complures vnâ conuocare, vt alij alius lucem afflaret, nec inter eos vnquam dissensio extitisset. Pergamus.

Mirum fuit, aliquos ex Germanis, qui omnes paulò antè illius postulati studiosi credebantur, postea se illi aduersos declarasse. Inter hos fuit Leonardus Hallerus Philadelphix Antistes, & Suffraganeus Eistatensis Episcopi, dicens, Repulsam periculosam fore, sed indulgentiam perniciosiorem futuram. Munus esse Concilij, consuetum & vniuersale retinere, nouum ac singulare recusare. In quodam multas rationes congeffit, perinde ac si hoc ipsum esset illarum regionum, vbi natus erat, suffragium. Quocirca ^c cum æstimaretur Hallerus sinceræ conscientix, testis omni exceptione maior visus est aduersus suorum Germanorum postulata, altumque vestigium in animis collegarum impressit: cum is præsertim ex eanatione vnicus non fuisset, qui eiusmodi sensa depromeret. Nam Ioannes Colosuarinus, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Conadiensis, alter Procuratorum Hungarici Cleri, cum se in familiaribus colloquijs aperiebat, ancipitem præ se ferebat animum de petitionis conuenientia. Hercules Rettinger Episcopus Lauantinus, statim ac ea de re agi cœptum, abiit è Concilio, Germaniamque repetiit: quod ab eo effectum credebatur, ne redigeretur in angustias, aut animos suorum ciuium aut suam animam offensurus.

Procuratores complurium Germanicorum Antistitum, qui superuenerant, publicè sententiam non ferebant: quod Legatorum operâ factum est, qui de Massarello conquesti sunt ^d, quòd illos admisisset in cœtum die vigesimo Iulij, ad eam ferendam: cumque is se purgaret litteris Pauli III. qui eam Procuratoribus Germanorum Præsulum concedebat, huiusce facultatis exercitium suspenderunt, ac celeriter quæsierunt, impetraruntque à Pontifice peculiarem huiusmodi facultatis abrogationem ^e, commoniti à Treuigiano Veronensi Episcopo (qui post paucos dies obiit, cunctis ob egregias viri dotes affectis tristitiâ ^f) de illatis Basileensi Concilio detrimentis à Procuratorum frequentia. Sed hoc ipsum postea iterum agitatam est, sicuti fusè suo loco dicitur. Itaque hi Germanici Procuratores, à quauis publica expositione suarum sententiarum exclusi, & priuatim tantummodò colloquentes, adeoque liberiùs, indicabant, eam concessionem Germanorum saluti minimè profuturam à se putari. Hinc verò multi aliarum nationum Episcopi arguebant, non sine graui causa à Concilio in ea prouincia celebrato, & cui Cæsar Germanique Principes tantum operæ

^c Vnus Legatorum ad Borromœum, vltimo Augusti 1562.

^d Litteræ Legatorum ad Borromœum, 16. Aug. & 3. Septembris 1562.

^e Abrogationis Diploma signatum est 26. Augusti 1562.

^f Litteræ Legatorum ad Borromœum, 3. Septemb. 1562.

operæ impenderant, cuiusmodi erat Constantiense, id vetitum fuisse. 1562.

13 Alij tamen aliter arbitrabantur; & inter eos Naclantus Clodientis Episcopus sex rerum monumenta perpendit: Id quod petebatur; atque id fas esse, & per aliquam ætatem ab Ecclesia concessum: Eum qui petebat; & hunc esse Cæsarem, maximum optimumque Principem: Illos, in quorum gratiam petebatur; & hos non esse hæreticos Ecclesiæ contemptores, sed Catholicos, Ecclesiasticæ Iurisdictionis veneratores; sperandum tamen esse, multos hæreticos per huiusmodi indulgentiam ad sanitatem redactum iri: Id à quo peteretur; & hoc esse Concilium Oecumenicum, convocatum ac pendens à Pontifice tamquam ab Ecclesiæ capite: Formam quæ petebatur; & in ea contineri optimas condiciones, quibus deficientibus, quod sub conditione concedebatur, illicò defecturum erat: Demum tempus quo petebatur; & in eo dumtaxat in difficultatem offendi, perinde quasi debacchante tunc tam audacter hæresi adversus Ecclesiam, hæc videri posset per eam concessionem perduellium contumaciæ cedere, ipsisque arrogantiam præbere ad magis impatibilia postulanda. Verumtamen sentire se ad eam gratificationem flecti à triplici causa: A norma charitatis, quæ nobis suadet, ne, quantum ad nos attinet, vlllo in gradu deficiamus ab eo quod in aliorum salutem effici possit: Ab auctoritate Cæsaris, in quo propter summam rerum peritiam error credi non poterat, & ob summam pietatem fraus timeri nefas erat: Et ab exemplis Concilij Basileensis, & Pauli III. qui eidem indulserant postulato.

14 Huic postremo argumento itum est obuiam à Beroaldo Episcopo S. Agathæ, dicente, Quin potiùs concessionem Pauli III. ex qua nullus extitit fructus, cum vnici vox hæretici ad cuncta corrumpenda satis fuisset, posse documento esse, ne improspere euentus exemplum sequerentur.

Opponebat quoque Stella: Quemadmodum homini infideli Baptismum petenti non statim conceditur, sed priùs eruditur in Fide, eiusque constantia probatur; ita de illorum obedientia, qui hæcenus inobsequentes Ecclesiæ fuerant, experimentum per aliquod tempus esse capiendum, eorumque mentem corrigendam, antequam illis Christi Sanguis propinaretur.

Eadem opinatus Martinus Aiala, Segouiensis Antistes, admonuit, accedendum esse ad Sacramenta cum ingenti animi sinceritate, & nullâ conditione quæsita: neminem concubinatus reum ad sacramentum admitti, nisi antea concubinam dimiserit; ita pariter

1562. ter eos admittendos non esse ad mensam Domini, nisi prius de ipsorum veraci conuersione liqueret.

Ex altera parte Fuscararius disseruit: Hic aptari vetus adagium: *Malum, sed necessarium*. Id esse malum, persuaderi sibi tot sapientum hominum auctoritate, idem esse necessarium, Cæsaris & experientiae testimonio. In deliberationibus confugiendum esse ad fontes illius virtutis, quam Theologi *Euthymiam* appellant (sic ille eam nominavit) cuius munus est quid opportunum sit diiudicare; eosque fontes esse tres, Rerum præteritarum memoriam, Præsentium intelligentiam, & Prouidentiam futurarum.

De præteritis adduci posse varia exempla, petita ab antiquitate, quæ tamdiu solum voluerat leges permanere, quamdiu viderat fructum ex illis decerpi. Constitutionem in Apostolorum Concilio habitam ad abstinendum ab esu suffocatorum, desiisse adhuc ipsis Apostolis viuentibus. Ex Origene, homiliâ ultimâ in Genesim, & ex Hieronymo, in dialogo Attici & Critobuli, colligi, primæuam Ecclesiam existimasse, omnium bonorum spoliationem esse præceptam, & tamen illius usum defecisse, antequam Apostolorum vita deficeret. Idem animaduerti in impedimentis matrimonij, quæ sæpius in Ecclesia variarunt. Velle se de aliis rebus exempla præterire; sed ea solum producere, quæ suppetebant ex historiis ad id quod agebatur. Post vetitum Constantiensis, existimasse Synodum Basileensem, Eugenium IV. & nisi memoria laberetur, etiam Callistum, oportere eam legem Bohemis relaxari, & Calicis usum concedi. Obiici: Quid profuit ea concessio? respondere se verbis Apostoli: *Multum per omnem modum*: ex Concilio Basileensi vsque ad Georgij regnum vixisse Bohemos in Ecclesiæ vnitatem, innumeris proinde malis euitatis. De duobus conuenisse inter se eos ipsos veteres, qui concessionem improbabant; alterum erat, vt in vetito persisteretur, donec affulgeret spes aliunde ad Ecclesiam remigrandi. Constare ex commentariis Cardinalis Papiensis, huiusmodi fuisse iudicium Pij II. Pauli II. & Sixti IV. spem conciliationis futuræ etiam absque hac concessione, enutritam fuisse apud eos Pontifices ex paruo Calistinorum numero, & ex odio capitali quo illi à reliquis vexabantur: sed eam spem in præsentia extinctam agnoscere. Alterum in quo concordarant, qui Calicem aliâ tempestate negandum censebant, esse, ne is absolutè negaretur, sed vt diceretur, Oecumenicum Concilium præstolandum: hoc pacto ex certissimis testibus se rescivisse, sermonem fuisse habitum Pontificis nomine in Comitibus Augustanis ac Ratisponensibus, & in iis ipsis, ex quibus

quibus prodiit libellus *Interim* Caroli V. Eundem sermonem fuisse adhibitum antiquioribus temporibus secundum narrationem Scriptorum æqualium, quorum verba recitauit. Eam igitur concessionem haud repugnantem videri præualidis Conciliorum Pontificumque sententiis: oportere tamen haurire consilium ex altero fonte, nimirum ex rerum præsentium intelligentia. Hanc, quoniam à Patribus perfectè non habebatur, & sita erat in ipso facto, ex testibus vnice trahendam esse. Qui negabant præsentem rerum statum eiusmodi esse cui congrueret concessio, dubitanter loqui: contra verò à Cæsareis eius conuenientiam asseueranter affirmari: hos igitur ex Iurisperitorum norma luculentiores testes esse, nec admodum valere suspicionem illam, quòd Calicem cupientes sincerà Fide non essent, sed simulatà. Doceri nos exemplo Christi in porrigenda Iudæ Eucharistia, famam hominis scelestissimi, nondum patefactis eius flagitiis, anteferendam esse dignitati Sacramenti, cuius candor inter nullas sordes contaminatur: maluisse Dominum corpus suum in ore sacrilego collocare, quàm inferre detrimentum existimationi occulti proditoris. Ex rerum præteritarum memoria, præsentiumque notitia oriri prouidentiam futurarum. Compertum esse, cum in Synodo Basileensi ea indulgentia retardabatur, perstreperè vndique quiritantium voces. Id si contingebat, dum cuncti Bohemos detestabantur, quid tunc euenturum fuisse, cum iidem tam multis fautoribus stipabantur? Vbi Georgius Rex à Pio II. repulsam accepit, eos populos corruisse præcipites in Fidei desertionem, rationibus surdam, armis indomitam. Id si contigit eà tempestate, quâ vniuersus illis orbis terrarum aduersabatur, quid euenturum fuisse, quando præualidis confederatis muniebantur? Exclamari: Eà concessione habità, hæreticos triumphaturos: quid autem? num præter hoc ex aliis capitibus ad maledicendum ipsis argumenta deesse? tristitiã potiùs ipsos affectum iri, seiunctis à se, & coniunctis cum Ecclesia tam multis affectis, adeoque parui faciendum triumphum, quem hostes non solùm ante victoriam, sed post cladem acceptam canerent.

Timotheus Iustinianus Chius, Dominicanus, Calamonensis Antistes, in idem propendebat, testatus, cum ipsius Ecclesia esset in Græcia, à compluribus etiam Calice Eucharistiam sumi, abque vlla sanguinis effusione, ab aliis solo pane, & ex iis ab aliis azymo, ab aliis fermentato, neque tamen vllam inde discordiam nasci: proinde firmos non esse duos illos obices, qui tamquam perualidi opponebantur.

16 Episcopus Leiriensis Lusitanus considerandum proposuit, vni

Q²

parti

1562. parti fauere auctoritatem Caietani Cardinalis, & Ruardi Tapperis, qui eam concessionem dissuaserant; alteri, auctoritatem Synodi Basileensis, & Pauli III. qui eam indulserant; hanc verò præferendam esse, præsertim cum ea promoueretur à multis Principibus religionis studiosissimis, tamquam vnicum remedium illorum populorum saluti, ceteroqui desperandæ: quare monitum Apostoli seruandum esse: *Excipite eum, qui est infirmus in fide.* Atque cum eo consensere Robureus, Salas, & Mocenigus, qui eiusdem Apostoli exemplum adduxit, circumcisionem Timotheo permittentis.

Inter prolixiores, famâque digniores dissertationes postulato aduersantes ea fuit, quam habuit Io. Baptista Osius Romanus, Episcopus Reatinus, æquè Canonum ac Historiarum peritus. Præmisit, Synodi munus non esse leges relaxare, sed eas constituere, aut abrogare; ac proinde super postulata relaxatione ibi decernendum non esse, sed consilium tantummodò Pontifici præberi posse. In Synodo Basileensi legem haud fuisse relaxatam, sed confirmatam legem Constantiensis: & quamquam nonnulla cum Bohemis pacta fuissent sancita, non tamen licere præsentì Concilio per eas pactiones procedere, de quibus non agebatur; sed solum secundum articulos à Cæsare propositos. Nec pariter locum dari ad deliberandum, an oporteret legem omnino delere; cum enim ea in Sessione antegressa commendata fuisset, non modicæ leuitati tributum in Synodo, si deleteretur in præsentì: solum igitur spectato consilio quod Pontifici dandum esset, certam esse regulam, hominum constitutiones relaxationis esse capaces, sed habendam esse rationem, cuius meminit ^g Gelasius: Vt persistat integritas, & ne quam decolorationem aut detrimentum patiantur reliquæ partes, ad quas relaxatio non extenditur. Indifferentem iam vsque ab Ecclesiæ primordiis fuisse morem Eucharistiæ accipiendæ, siue sub vna, siue sub vtraque specie, quemadmodum ex multis Patribus colligebatur; sed hæresim Nestorij fuisse in causa, vt ab Ephesino Concilio sumptio sub vtraque specie prohiberetur, quo extingueretur in animis falsa illa persuasio, sicuti ab ipso Legato Osió notatum fuerat in suo Dialogo *de Communione sub vtraque specie*: hanc fuisse generatim consuetudinem Ecclesiæ in iis prohibendis, aut imperandis iis, quæ in se spectata vtrumque usum indiscriminatim admitterent. Huiusce rei duo similia exempla adduci ab Osió iam laudato in altero ipsius Opere ^h. Alterum, cum idem Nestorius docuerat, Mariam non Dei, sed Iesu matrem esse, illicò fuisse præscriptum à Concilio, vt ea Dei Mater appellaretur: alterum, in quadam è Synodis Tole-

^g C. Et si illo prima, quæst. 7.

^h De expresso Dei verbo.

Toletanis, quam refert Gratianus, quò iretur obuiam errori Donatistarum, Baptismum iterantium, interdictum fuisse Catholicis, Magni Gregorij auctoritate, ne quis ter immergeretur, quod prius in eo Sacramento licebat, quò species omnis amoueretur multiplicati Baptismi. Ebionitas credidisse, necessariam esse Christianis veterum legalium rituum obseruationem; & statim ad tollendam illius speciem in usu azymorum, statutum fuisse vt in fermentato sacrificaretur, pro eo ac etiam nunc à Græcis vsurpatur. Ab Apostolis quoque, ne cum Iudæis conuenirent, mutatum fuisse diem festum Sabbati in Dominicum, decretumque, ne ante æquinoctium Pascha celebraretur. Rem non absimilem, vt alij insinuauerant, referri communiter de sancto Leone, quæ ex quarto illius sermone de Quadragesima desumebatur: ea erat, quò Manichæorum errorem, verum corpus Christo negantium, extingueret, iussos ab illo etiam laicos in Eucharistiæ sumptione sanguinem quoque suscipere. Atque eiusdem fortasse rei gratiâ renouatam eandem iussionem fuisse, iniunctâ sacrilegij pœnâ, à Gelasioⁱ Pontifico, qui Leoni propinquus fuit; tamen Canon ille in alias quoque sententias trahi posset. Eâ hæresi abolitâ, rediisse libertatem tradendæ non celebrantibus Eucharistiæ utroque modo, donec excitato recenti Bohemorum errore, sumptionem Calicis esse definitè iuris Euangelici, à Constantiensis Concilio ea fuerat interdicta. Cùm igitur tunc vt maximè ratio legis permaneret, par esse, vt lex pariter perduraret, atque vt eadem illâ persisteret, & per contrariam relaxationem minimè vulnerata, cum Iurisperitorum effatum sit^k, *Ne lex relaxetur, nisi secundum actum, & secundum exemplum locum habeat ratio legis.* lam verò in regionibus, quarum gratiâ eiusmodi relaxatio petebatur, non modò hanc legis rationem perdurare, sed excreuisse. Etenim post hæresim Petri Dresdensis, dum Germania puram Fidem retinuerat, numquam per centum annos ab ea usum Calicis postularum, Bohemos execrata. Tunc verò exorso Luthero, qui eam etiam inter alias hæreses tradiderat, corruptisque eius veneno illis prouinciis, cœptum ab illis esse id importunè efflagitari, adeoque dubitari posse voluntatis mutationem à fidei mutatione profectam. Exemplum Synodi Basileensis in oppositum retorqueri: nam tamen dum adhuc erat legitima, & cum Eugenio coniuncta, pactio- nes firmaret, eas tamen à Bohemis numquam fuisse seruatas; & Ioannem Rochezanam, præcipuum ipsorum Sacerdotem, oppositum pro concione vulgasse, & vulgandum curasse, atque à Sigismundo Cæsare sex articulos, Ecclesiæ vnitati contrariose extraxisse:

Q 3

cumque

ⁱ Cap. Comperimus, de Consecratione, dist. 2.

^k Iurisperiti in cap. Neophytus, 6. dist.

1562.

cumque id in Pontificatu Nicolai V. continuaretur, missum ab eo illuc fuisse ad illos populos ad frugem reuocandos beatum Ioannem de Capistrano, ac postea Nicolaum Cardinalem Cusanum, dein vero à Callisto III. ad idem peragendum admotum Cæsarium Cardinalem, sed semper incassum, sicuti habebatur apud Ioannem Cocleum in Hussitarum historia: nec fructum meliorem decerptum esse ab indulgentia Pauli III. cuius Nuntios nemo unquam adierat ad usum Calicis impetrandum: quin hæretici eas Pontificis facultates per typos impresserant, adiectis ipsorum commentariis, scribentes, Quemadmodum *Papista* in hoc suum errorem agnouerant, ita de reliquis peracturos. Tum in medium protulit præcipuam alteram causam, quâ permota fuerat Ecclesia, videlicet, periculum inuitabile effusionis, expensum à Caietano, & Alfonso de Castro in verbo *Eucharistia*. Neque capiendum esse propositum à quibusdam remedium, præbendi Panem consecratum intinctum vino, quemadmodum apud Græcos mos est. Fuisse id interdictum à Iulio Pontifice¹, cum Christus utramque speciem separatim Apostolis præbisset. Alterum incommo- dum accedere, probè obseruatum à Gabriele, in lectione octogesima quarta sui Operis de *Canone Missæ*, ubi huiusmodi conuenientiâ copiosè demonstratâ, audet affirmare, seditionem inter Christianos disseminatam iri ab eo, qui huiusmodi priuilegium aliquibus impertiret, propterea quòd sibi quisque arrogaret par meritum illius obtinendi; atque id experimento iam innotescere Synodo, cum in comperto esset, quò tenderent in ea re Gallorum postulata. Veritatem adductarum rationum probè intelligi ab ipsis Germaniæ Præfultibus; ab vno illorum Patribus audientibus eas intrepidè in cœtu expositas fuisse: sciri, adesse illic Procuratorem præcipui cuiusdam Archiepiscopi ex illa natione (Salisburgensem significabat) cum disertis mandatis contradicendi; sed submurmurari, eum silere coactum. Multa dein exempla congeffit cautionis ab Ecclesia adhibitæ, antequam hæreticos, qui relipuerant, ad Eucharistiæ sumptionem admitteret, & firmitatis in retinendis suis ritibus, ubi iam fuerant inducti. Conclufit, adesse causam suspicandi id quod idem Osius Cardinalis obseruabat in sua Opella *De celebranda Missa vulgari idiomate*: nimirum, ad duos improbos fines petitionem ab illis dirigi: alter erat, vt ostentarent Romanam Ecclesiam cum ipsis communicare; alter, aut Patres à reliquis Catholicis seiungere, aut certè seditionis escam spargere.

Hæc oratio adeò commouit Ioannem Muuantonium Augusti-
nianum

1 Cap. Cum
omne, de
Consecratio-
ne, dist. 2.

nianum Episcopum Segorbiensem, & iam Hispani Principis magistrum^m, ut pro eo ac ipse publicè significauit, cum antea sententiam aliam destinasset, scriptam in pagina quam è sinu eductam tenebat, audito Reatino sententiam mutauerit.

1562.

m Apparet ex epist. Iadrensis, ultimo Augusti 1562.

1562.

Ultrà progressus est Richardus Vercellensis Canonicus Regularis, Abbas Præualensis: pronuntiauit, eam Calicis petitionem hæresim sapere. Sed eius dictum extemplò grauius est castigatum à Mantuano, hominem commoente; à Pontifice & Concilio postulata quæ saperent hæresim, in consultationem minimè adduci. Ille verò inconsiderantiâ animaduersâ, dum propinquus sibi Abbas verba faceret, è subfello egressus, & ante Legatos prouolutus in genua, veniam poposcit, ac postea id quod dixerat, absque mora publicè retractauit. Prolixum deinde scriptum vulgavit, prout fieri solet, cum sententiæ defensio simul etiam auctoris defensionem completitur: in eo conatus est rationes pro repulsâ confirmare, simulque superiora sua dicta explicare, omni culpâ à Cæsare remotâ, eademque reiectâ in eorum importunitatem, qui Cæsarem impellebant ut in eo deprecatores ageret. Declarauit quoque, sententiam suam Patrum sententiæ à se subiici.

19 De hoc homine digressionem habet Suauis, reliquis, quibus utitur, parem, cum omnes nauiter ac verè secundum artem digestæ sint; omnes enim ad suæ fabulæ propositum conducunt. Narrat, Richardum decimosexto Augusti percontatum fuisse Gallicos Oratores, an illius regni Episcopi aduentarent, eosque sollicitasse ad operam ad id nauandam: & hucusque verum narrat, cum^m Lanfacus ipse Iacobo Lomellino Episcopo Mazzariensi retulisset, Abbatem summo manè huiusce rei gratiâ suas fores pulsasse. Sed minimè verum narrat de obiectis illis artibus, quas Romanæ Aulæ apponit, dum idem affirmat, tum ob id ipsum, tum ob suspiciones, quæ postea exponentur, actum fuisse cum summo Richardi Præsidi, ut ipsum ante Gallorum aduentum Tridento remoueret; sed vigesimo quinto Nouembris morte præuentum fuisse. Verùm contra huiusmodi cuniculos licuerat Suauis legere in eodem litterarum Vicecomitis volumine, vbi primam partem legit, quo pacto Simonetta^o cunctatus non est apertis modis Abbatem percontari, cuius rei gratiâ eo ille munere functus esset, quod nihil ad ipsum attineret; & quo pacto ille responderat, merâ se curiositate ad id impulsus, & quò supremum moderatorem suum de eo certiores redderet; neque quidquam præterea in re illa peractum. Sed videamus porò quidquid Suauis de eo scribit, seu potius somniat, & postea si non

n Litteræ arcæcis notis Vicecomitis ad Borromæum, 17. Augusti 1562.

o Arcæcis notæ Vicecomitis ad Borromæum, 20. Augusti 1562.

1562. non ipsum, eos quidem certè qui ipsi credunt, luce veritatis excitemus.

Addit, eundem Richardum in refellenda Calicis concessione valde innixum fuisse Synodo Basileensi, quæ huiusmodi prohibitionem comprobat: & obiurgatum fuisse ab Imolensi, cum vellet is eo pacto corrigere simile testimonium Synodi Basileensis, à se prius adductum, ut proinde vehemens inter eos contentio exorta fuerit. Ita scribere, perinde planè est, ac, sicuti dicebam, somnari, hoc est, simulacra falsa & absurda componere ex rebus veris atque conspectis. Richardus differens de Calicis argumento, quantum comperio perfectis eius dictis, quæ in Acta referuntur, numquam suam sententiam fundavit in Synodo Basileensi, quæ, quod spectat ad dogma & interdictum vniuersale, Constantiensem dumtaxat confirmat: cumque illa Synodus legem Bohemis relaxasset, potius adducebatur in medium ab iis qui ad indulgendum petitioni propendebant; quod ab iis extra reprehensionem fiebat, tum ob auctoritatem Patrum, qui earum concessionum tempore illic inter-

p Vide inter
altos Augu-
stinum Pa-
tritium Ca-
nonicum Sen-
nensem in
Hist. mana-
scripta Con-
cilij B. si-
leensis, quæ
est in Bi-
blioth. Vatic.
& Concilium
Florentinum,
recenter vul-
garum ab
Horatio Iu-
stiniano,
postea Car-
dinali.

q Notæ arca-
næ Viceco-
mitis ad Bor-
romæum,
ultimo Au-
gusti 1562.

uenere, tum quia post primam concessionem^p, habitam anno 1433, Eugenius cum Concilio se coniunxit, comprobavitque quæ ibi confecta fuerant ad eam usque diem de tribus capitibus, quorum vnum erat, ut Bohemorum reconciliatio curaretur. Quin cum denique Ferrariam illud transtulit, facultatem ipsi super eo argumento decernendi per aliquot dies Basileæ reliquit. Sic igitur Richardi negotium se habuit. Aliquoties Hieronymus Guerrinus Tifernas^q Imolensis Antistes eos culparat, qui in rebus ad dogmata spectantibus testimonium Synodi Basileensis adduxerant, tametsi illi reuera id agerent haud comprobantes siue eiusdem Synodi contumaciam in Pontificem, siue ipsius auctoritatem, sed tamquam cœtum doctorum hominum asserentes. Postmodum idem in Conuentibus habitis de Sacrificio non modò eam Synodum adduxit, verum etiam magnoperè euexit; & hoc ipsum egit Richardus, sed in aliis pariter argumentis, quæ ad Calicem minimè spectabant, nihil propterea reprehensus ab Imolensi: progressusque eò est, ut diceret, de prærogatiua inter Concilium & Romanum Pontificem se suam mentem aperturum, ubi ea de re ageretur. Visus est eisdem sensus in præferendis Pontifici Conciliis indicare Io. Baptista Migliauacca Astensis Seruorum B. Virginis Præses supremus; neque tamen hinc effectum est, ut in ipsos vlla fieret animaduersio, quamquam Guerrinus præcipuè, in Pontificia ditione ortus, in eadem duas Episcopus ciuitates reget: adeò religiosè Pontifex integram

tegram Synodo libertatem seruabat. Ac nimis certè obuium cuius cogitanti est, vbi voluisset Pontifex, vt à summo Richardi Præfide is è Concilio remoueretur ante Gallorum accessum, qui mense Octobri illic peruenturi erant, haud certè permissurum, vt vsque ad extremum Nouembris ibi Richardus moraretur, hoc est ad extremum illius vitæ; sicuti Suauis ipse commemorat.

1562.

21 Sed vt ad rerum seriem reuertamur: Lainius, qui postremus sententiam dixit, hæc sensa deprompsit: Hunc à se fructum egregium percipi ex eo quòd omnium postremus loqueretur, quòd non modicam prius lucem ex omnium animaduersionibus hauriret: obseruatum à se fuisse, id accidere Patribus quod medicis, qui omnes in eo conueniunt, vt ægroto sanitatem restituant, sed dissident in præscribendis ad eam consequendam medicinis. Duas agitari posse quæstiones: alteram, Delendum ne esset Constantiense Decretum; alteram, An oporteret Calicem concedere quibusdam certis nationibus. Vbi prior agitaretur, id à Concilio efficiendum esse perinde ac ab altero Concilio lex fuerat sancita: vbi verò posterior, vsum Calicis esse concedendum à Romano Pontifice, cuius munus est expendere conditiones proprias locorum, temporum, atque hominum; quòd Reatinus pariter notarat. Præmisit denique, vtrumque ritum suapte naturâ, sublatoque Ecclesiæ interdicto, licitum esse, quoniam variis tempestatibus vterque vsus fuerat exercitus.

Partim in Actis in Arce Aëta, partim in Actis Paleotti, partim in litteris Iadrensis Archiepiscopi, 7. Septemb. 1562.

Hiscæ fundamentis iactis, quod ad priorem quæstionem attinebat, censuit, Decretum Constantiense delendum non esse; quippe quod satis causæ non erat, vt ipsum hæretici transgredirentur: numquam enim Ecclesiam censuisse ea de causâ suas leges abrogare; aliter, leges quoque de ieiunio, de die ad celebrandum Pascha constitutæ, essent abrogandæ.

Ad alteram dubitationem progressus, negauit, causas ad relaxandam legem sibi sufficientes videri: vnicam, quæ afferebatur, esse eorum Catholicorum id postulantium imbecillitatem; sed considerauit, si ea ratio admitteretur, relaxationem communem omnibus futuram, quoniam vnusquisque se imbecillum esse causaretur: Moysis exemplum, quod producebatur, qui repudium Hebræis permisit ob duritiam cordis, vim non habere; aliud esse legem mitem ab initio condere, ratione habitâ communis populo debilitatis; aliud, eam postmodum eneruare in corruptorum hominum gratiam: per alterum præpediri, per alterum enutriti subditorum malitiam: Sacramentum Altaris præbendum non esse

Pars III.

R

pecca-

1562. peccatoribus, quales hi sese ostendunt, ut qui cum hæreticis conveniunt in huiusmodi ritu, & Ecclesiæ non obsequuntur; sed tantummodò sanctis præbendum. Et idcirco priscis temporibus Diaconos in Eucharistia porrigenda fuisse solitos dicere: *Sancta sanctis*. Laxamentum legis in hoc ad suscitandam confidentiam valere, quâ nequius alia flagitentur, unde cunctæ leges Ecclesiæ auferantur. Huius voti auctores fuisse hæresarchas, quorum petulantia ac superbiæ non indulgentia sed repugnantia medebatur. Eos populos, qui tam vehementer hoc postulabant, nihil credere de Concilij aut Pontificis auctoritate, utramque reipsâ inficiatos, sed solum impunitatem sui delicti quærere, cum veterentur à Principe Calicem in sacra mensa usurpare, quem optabant impunè adhibere. Ordinem suum debere plurimum Cæsari, complurium Collegiorum fundatori, plurimum Bauariæ Duci; sed quò illis magis erat obnoxius, eò fortius se compelli ad eisdem respondendum consilij fidelitate. Affirmavit, non admodum se moveri laudatorum Principum opinione, qui nec obtinebant, nec, quippe religiosissimi, sibi arrogabant rationem ullam in sacris negotiis: rei notitiam captandam esse per Episcopos, quorum munus est ex diuino præscripto res sacras curare. Ne nimium formidarent Patres aut hæreticorum alluionem, aut aliorum malorum, quæ ipsis infausto metu prænuntiabantur: casus hosce diuino imperio cunctos adnecti: fiduciam in Dei Filio, cuius agebatur causa, collocarent: Ecclesiam illius fundatam sanguine, numero quidem posse diminui, sed perire non posse. Eâ concessione vellicatum iri appetentiam aliis nationibus ad idem postulandum; adeoque tametsi admitteretur, oportere consilium votumque Principum laicorum sequi, audiendam tamen esse aliorum Regum Principumque Catholicorum sententiam. Exemplo Synodi Basileensis respondit; Primum errorem imputari deceptor, secundum deceptor simul ac decepto, tertium, soli decepto; indicans fortasse, illum fuisse primum errorem, adeoque excusabilem: secundum, id quod Paulo Tertio sedente contigerat, & illud pariter excusationem aliquam merebatur: at verò post exemplorum huiusmodi documenta Tridentinum errorem inexcusabilem fore.

Hi fuerunt sermones memoriâ digniores. Etenim Sbardellatus²² Episcopus Titiniensis, vnus ex Procuratoribus Cleri Hungarici, longissimam quidem orationem habuit, sed quæ pondus moli par non habuit, & quâ suæ potiùs voluntatis ardorem, quàm causæ bonitatem persuasit. Silentio prætereundum non est, Drafcouizium, Quinque

Quinque Ecclesiarum Antistitem, ne quid intentatum ad rem promouendam relinqueret, præter petitionem adhortationemque à se tamquam ab Oratore habitam, voluisse postea sententiam suo loco dicere tamquam Præsulem⁴. Visum ipsi fuerat, multos nimis animosè obstitisse, & nonneminem à re ad homines fuisse transfressum: etenim inter alios Ægidius Falcetta Cingulanus⁵, Episcopus Cauriensis, qui paulò post ad Ruitonontientem Ecclesiam translatus est⁶, incredibiliter infensus concessioni, conquestus fuerat, permisos adesse sententiarum dictioni Oratores illorum Principum, quorum ea causa intererat, & aliquos, minitantis potius quam suadentis modo, infelices Concilio progressus ex ea repulsa vaticinatos fuisse. Quibus dictis Falcetta quibusdam visus est primum Legatum petere, qui hoc in re proponenda exposuerat, sed reuera ictus cadebat in Drascouizium, cuius fuerat hoc vaticinium. Et Mantuanus illud non tamquam verum affirmarat, sed tamquam dictum recitabat. Itaque Drascouizius conatus prius concinnis modis obiecta cuncta dissoluere, aliquid questus est de Reatino, affirmavitque, illum doctè quidem disseruisse, eiusque dicta efficacia futura fuisse ad ipsum Drascouizium permouendum, nisi notitia de rebus Germaniæ falsitatem illius speculatricis ratiocinationis ostendisset. Dein quasi Falcettam indicans ratione quadam inter iracundam ac pacatam, quæ arrogantia odio submoto, & conciliata grauitatis æstimatione, non minuit sed auget efficaciam, adiecit, Quædam iactata fuisse, quæ ipsum penè ad duellum prouocare poterant; sed velle se patienter ea tolerare. Tum, quemadmodum præcelsis animis mos est asseuerantiùs sustinendi sua dicta, quibus acriùs repugnari sentiunt (siue id sui decoris gratiâ, siue ad repugnantium offensam præsent) non modò non reuocauit, sed iterauit, vbi postulatis haud indulgeretur, satius futurum fuisse, si numquam Synodus coiuisset.

23 In huiusmodi quæstione ferè omnes adeò diffusè verba fecere, vt cum res vigesimo octauo Augusti proposita fuisset, dicendis sententiis ante vesperam sexti Septembris non fuerit impositus finis⁷. Solidior difficultas & communiùs æstimata videbatur esse, damnum ac periculum cuiusuis mutationis in re graui, conspicua & vniuersali; experimentum, quòd minimè custodirentur conditiones, quas Concilium Basileense, & Paulus III. concessionem apposuerant, vnde neque conducibiles euaserant; incommodum inducendi in ritus Ecclesiæ varietatem, semper vnitati perniciosam; quòd persistèrent nihil mutatæ, & communes Germaniæ eadem rationes, quæ

R 2

Synodum

1562.

7. Septembris, vt in vna ex tribus litteris Vicecomitis ad Borromæum. & Acta Paleotti, & notæ arcane Vicecomitis ad Borromæum, & epist. Iadrensis, vltimo Aug. 1562. & 30. Ianuar. 1563. vt in Actis Confiscialibus.

8. Legatorum litteræ ad Borromæum, 7. Septembris 1562.

1562. Synodum Constantiensem permouerant, præsertim verò periculum effundendi sanguinis, difficultas illius conseruandi, incommoda eius deferendi ad ægros in agris, vini penuria multis in prouinciis; vt proinde, si lex pro illis regionibus reuocaretur, visa fuisset certa consecutio, seu tunc seu nunc contra prudentiam actum; quòd apparet species rei incredibilis, ardentissima huiusmodi postulata ab æstu pietatis enasci, & non potiùs ab opinionis errore; dubitatio, ne indulta illis petitio nationes alias ad illud ipsum inflammaret, crearetque nouas difficultates; noticia, quòd iidem populi ad alia absurda laxamenta adspirarent, & præcipuè ad Sacerdotum coniugia; adeoque huius rei impetratio minimè quietos illos redderet, sed potiùs audaciores & importuniores. Hæ rationes ex vna parte, ex altera spes fructus, & iacturæ formido, viuidissimis coloribus ante omnium oculos expressæ, sicuti diximus, ab Episcopo Quinque Ecclesiarum, simulque auctoritate Cæsaris, Gallorum, ac Bauari corroboratæ, inter se ita conflixere, vt in nulla alia re proposita sententiæ tam variæ ac tam perplexæ vniquam prodierint; vsque ad eò, vt qui à secretis erat, nequiverit per primum tabellarium certam earum notam Romam mittere. Etenim aliqui ambiguè locuti, & interrogati, cuiusmodi consilio definitè adhærent, recusarunt clariorem sententiam ferre, quasi maluissent disserere quàm iudicare. Neque iudiciorum varietas variis nationum affectionibus verti poterat, quandoquidem patuit, cum in Synodo tunc adessent duo soli ex Gallia, Eustachius Bellaius, & Petrus Dantesius Antistites, alter Parisiensis, alter Vaurensis, eos inter se discordasse, illum concessionem repugnantem, hunc assentientem.

y Prædictæ
Legatorum
literæ, 7. Septemb.

z Acta authenticæ
Actis Æliæ.

Post diuturnam diligentiam, & accuratum examen, Patres qui illis cœtibus numero centum sexaginta sex interfuere, in octo partes diuisi sunt. Quatuordecim auctores erant, retardandum esse Decretum: triginta octo repulsam probabant: viginouem concessionem; viginti quatuor rem esse in Pontifice reponendam censabant: triginta & vnus primum articulum admiserit, secundum reiecit, hoc est, in concessionem propenderunt, non tamen Episcopis committendam, sed vt eius executio Pontifici relinqueretur. Vnus perstitit medius: decem in partem negantem inclinarunt, sed rem Pontifici committentes: nouemdecim concessionem ad Bohemiam & Hungariam coarctarunt; adeoque vix in eo argumento tot sententiæ potuissent antea concipi tamquam possibiles, quot reipsa pullularunt. Quod vsuuenit in iis quæstionibus, tam practicis quàm theoreticis, in quibus duræ vtriusque difficultates obuersantur,

uerfantur, cum pro se quisque tunc aspiet utilitati & gloria in ap-
riendo calle medio ac plano inter ardua & confragosa; quamquam
sæpius nouus ille callis, dum cuncta deuitare creditur, offendit in
cuncta; hinc verò vnusquisque viam ab alio malè patefactam auer-
fatus, eiusdem simul audaciam imitatur, simul ipsi per euentum im-
prosperum assimilatur.

CAPVT V.

*Noua Cæsarianorum studia ad impetrandum Calicem, & noua
trutina de doctrina, ac præsertim de Sacerdotio, Apostolis
à Christo in Cæna collato; & varia Suauis errata.*

1 **C**æsariani ab iis quæ acciderant, stupore simul & lumine
sunt affecti: stupore quidem, quoniam multæ rerum con-
ditiones tam validam fiduciam ipsis intulerant, vt vix certa
firmitas dici non posset: complurium Principum postulatio, Pon-
tifex propitius, Legati fautores, ipsum argumentum arbitrarium,
ac nulli noxium; officia ac studia summa: & tamen exitus is fuit,
qui fuisset expectandus, vbi cunctæ quas retulimus condiciones
ex opposito præcessissent. Lumine affecti, quia compertum illis
fuit, quanto ampliùs sperandum ipsis erat ab auctoritate ad vnum
restricã, quàm in plures diuisa; cum longè facilius homini con-
tingat persuadere menti, & permouere voluntatem vnus capitis,
quàm multorum; præterquam quòd sæpè idem ille, in quem vni-
cum coit potentia, quanto propterea illis plurimis maior est, in
quos ob aliam regimini rationem ea dispertitur, tantumdem ob
ipsam magnitudinem aliis Principibus indiget, plusquam indigeant
complures tenuiores. Vnde fit, vt Respublicæ & multò difficiliore
sint Monarchis ad concessiones, & multò proniores ad repulsas.
Quare licuit Principibus certum ab eo exemplo documentum ca-
pere, multos Episcopos illorum vota promoturos fuisse, si per ea
Episcoporum potestas eueheretur Aulæ Romanæ demissione; sed
in reliquum vniuersam Synodum longè arctiorem Pontifice Ro-
mano in concessionibus futuram; adeoque fauor ille quantulus-
cumque, qui postulato in dicendis sententiis obsecundarat, ipsum
aut comprobando, aut non improbando, sed in Pontificem reii-
ciendo, profectus fuerat ab opera ex Pontificis voluntate ab eius
ministris impensa, postquam negotium præceptum ruere visum est,
nisi manus protenderetur.

2 Hoc itaque experimentum effecit, vt Cæsariani se aliò verterent.

R. 3

Repu-

4 Constat ex
arcanis litte-
ris Viccomi-
tis ad Bor-
romæum,
3. Septembris
1562.